



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 28. Cur intellectus non semper intelligat, ad tex. com. 63,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

nem omnē entis absorbet, omnēq; cōpositionē
excludit, quam in entibus participatis multipli-
cem existere necesse est.

TEXTVS.

Τὸ ὅτι μὴ ἀεὶ νοεῖν, τὸ ἀεὶ νοεῖν ὁμοιωμένην

16. Cur verò non semper intelligat, consideranda est
causa.

COMMENTARIVS XCIII.

Quæstionem sic quandam aut dubitationem
contineri, apertè satis ipsa verba testantur.
At num ea explicetur, an sine explicacione dimit-
tatur; quamnam item dubitatio sit; dissentiunt in-
terpretes. Quarit cur non semper intelligat.
Quod Auerroës non de intellectu, neque de intel-
lectione, sed de intellectili vult proponi: cur
non semper, id est non omne intellectile intelli-
gat; hancque eandem esse quæstionem, quæ ante
proposita fuit, cur non omne intellectile sit intel-
lectus. Huic autem responderi putat, causam esse,
quoniam non omne intellectile est actu, sed
quædam potestate. Illa enim, quæ actu sunt in-
tellectilia, nempe immaterialia, intellectus item
sunt: quæ verò potestate, non item; entia scilicet
materialia. Verùm in his nimiam verbis vim
infert. Primum dum (semper) interpretatur si-
gnificare omne; & (intelligat) hoc est intelle-
ctu, sit. Deinde cum imperfectam philosophi
orationē facit; alteram solam responsionis par-
tem poni dicens, materialia entia potestate in-
tellectilia esse; ex qua intelligenda sit altera, im-
materialia esse intellectilia actu. Leueque huius
argumentum adducit aduersariam particulam
(autem) quæ diuisionem notet atque alterum
membrum postulet. Quippè frequentissimus
est alius illius vsus, vbi nulla est huiusmodi op-
positorum membrorum redditio.

Accedit aliorum omnium consensus, qui tum
quæstionem nouam nondum propositam; tum
non de intellectili, sed de intellectu & intellectio-
ne eam esse autumant. Simplicius, Albertus, &
alii, & Priscianus cap. 20. vnam & generalem
cuiusuis intellectilis obiecti comparacione; cur
intellectus aliquid non semper intelligat, siue
seipsum, siue aliud quidpiam. Putatque Albertus
consequentibus verbis responderi, intellectum
alia intelligere abstrahendo à materia; seipsum
non abstrahendo, quoniam immaterialis est; &
ideò alia non semper ipsi præsentia esse nec actu
intellectilia, antequam abstrahantur; ipsum sibi
semper præsentem esse, actuque intellectilem.
At ex hac responsione consequens est, intelle-
ctum semper seipsum intelligere; quoniam sem-
per intellectilis actu, & sibi præsens est. Id verò
tum res ipsa testatur esse falsum, cum vix & per-
rarò nec nisi cum difficultate, seipsum intelligat.
Tum Aristotelis illud accedit; tunc demum seip-
sum intelligere intellectum posse, cum fuerit sin-
gula factus; nimirum non ex se, sed ex aliorum
cognitione in sui notitiam perductus. Denique
respondio quæstioni planè contraria est. Quæri-

tur enim, cur non semper intellectus alia & seip-
sum (sic enim proponit Albertus) intelligat;
respondio autem causam docet, cur non semper
alia, seipsum semper intelligere queat. Nec video
quomodo hæc non pugnent, nisi proponatur
quæstio, cur non semper actu intelligat intel-
lectilia cætera, vt seipsum. Tunc enim ea di-
uerfitatis ac discriminis ratio adferri posset. Sed
falsum acciperet quæstio, intellectum semper
seipsum intelligere.

Simplicius ergo quæstionem proponi ac sine
solutione dimitti, veriùs statuit. Eadem Philo-
pono sententia. Sed hic specialem quæstionem
facit, cur non semper seipsum intelligat. Quod
Themistium sensisse credo; & mihi quidem cer-
tè magis videtur accommodatè dici. Nam etsi
quæstionem vniuersam proponi quis crederet,
quoniam postremis verbis fuerat vniuersè di-
ctum, scientiam & id quod scitur idem esse: ex
dictis tamen manifesta erat causa, cur alia non
semper intelligantur; tum quia intellectus com-
paracione illorum est potestate, & tanquam nu-
da, rudisque tabella: tum quia materialia entia
potestate, non actu, sunt intellectilia, nec intel-
lectui semper præsentia. Maximè autem ad rem
erat causam querere, cur seipsum non semper
intelligat. Vt hæc verba (cur verò non semper
intelligat) superioribus illis respondeant, quibus
eum dixit intellectile esse, vt intellectilia; quo-
niam in iis, quæ sunt sine materia, idem est quod
intelligit, & quod intelligitur. Inde namque du-
bitandi occasio est. Quia si is seipso intellectilis
semper actu est, quemadmodum separatæ cæte-
ræ, atque immateriales substantiæ, cur non sem-
per seipsum intelligit? Nam & abstractæ reliquæ
substantiæ seipsas semper intelligunt. Et si in im-
materialibus idem sunt intellectus & intellecti-
le, & quod actu intelligitur est actu intelli-
gens; cum semper sit actu intellectilis, cur
non etiam semper est actu intelligens? Si
materialia non semper intelliguntur, causa est,
quòd non semper sunt actu intellectilia, neque
intellectui præsentia; sed abstractione à materia
opus habent. Ipse verò abstractus semper est &
intellectus actu, sibi que præsens.

Hanc dubitationem is sanè proposuit: at mi-
nimè explicauit neque huius rei causam ape-
ruit, sed planè prætermisit. Aut in alium diffe-
rens locum, in quo post docturus est nil eum si-
ne phantasmate intelligere. Aut eam fortasse
causam esse existimans, quam in superioribus
indicaui, cum illum dixit, tum demum posse
seipsum intelligere, cum fuerit singula factus.
Quoniam non nisi ex aliorum cognitione seip-
sum intelligit. Aliorumque cognitionem non
semper nec insitam habet, sed tempore sibi plu-
rimo ac labore comparat.

Digressio xxviii. Cur intellectus non semper
intelligat.

Verùm cum nihil apertè hoc loco respon-
deatur, diuersas alias interpretes cogita-
runt causas. Quod autem Themistius pro-
pterea illum dixit non semper seipsum intelli-
gere, quoniam vt est potestate intellectus, sic
MMMM iij

Primà
TAV.

potestate est intellectus: actu autem ubi cetera intellexerit, atque illorum sibi notiones comparauerit. Immo assiduitate nimia aegrescere illum ac lacessere. Culpa videlicet potestatis illius, quae sibi subest. Quod si quis alius sit intellectus cui nulla insit potestas, illum demum & intellectum, & intellectilem semper esse: huncque intellectum esse agentem. Ex falso profectum est principio, quo intellectum nostrum meram is credidit potestatem esse. Atque Aristotelis doctrina & veritati profus aduersatur. Quippe tum illi, tum Alexandro demonstratum iam est, intellectum velut scriptoriam tabellam potestate solum esse ad intellectilia cetera, in se actum quempiam & ens. Id verò proximè superiora verba confirmarunt: quibus eum seipso intellectilem actu esse prodidit, perinde ac sunt intellectilia & immateriales substantiae. Quibus planè repugnat Themistius, eum inquam tum puram potestatem esse; tum potestate, non actu, intellectilem. Eum item potestatis illius vicio assiduitate nimia intelligendi aegrescere, ac lacessere; nec verum est: siquidem omnis potestas actu & operatione perficitur ac roboratur, otio languescit ac marcescit: nec philosopho consentaneum, qui & intellectionem perfectionem intellectus esse voluit; & hunc quòd plura & difficiliora intellexerit, eò magis perfici, atque ad intelligenda robustiorem euadere in tex. 7. docuit. Mitto quae de intellectu agentis & patientis distinctione ac diuersitate subiungit: nam haec in sequentibus expendentur.

Secundum
naratio.

Apud Philoponum duplicem aliam reperio causam. Alteram, propter nimiam sui copiam & familiaritatem. Scitum enim illud est: Nimia familiaritas contemptum parit. Quem admodum enim, inquit, si duo accedant homines, alter amicus, alter illustis ac splendidus; illum ne salutamus quidem & quasi non curamus, quòd familiaris sit; alterum humanissimè excipimus & honorificè tractamus. Sic intellectus sibi ipsi familiaris non admodum circa seipsum occupatur, quòd sui semper copiam habeat, possitque se ubi libitum fuerit, contemplari: sed totus ferè circa exteriora, quae non tam saepe occurrunt, versatur; seque ipsum raro intelligit.

3. ratio.

Alteram, quòd circa exteriora & corporea nimium distrahitur & à seipso auocatur, remque alienam potius, quam suam, agit, atque actio circa alia reditum in seipsum moratur, & impedit. Nam ita in furore euenire competes, ut omnino non intelligat; eò quòd à se diuertatur aliò; atque ob variarum & falsarum imaginum incursum, ea, quae vera sunt, & seipsum, cogitare nequit.

Ceterum qui priorem causam examinet, facile intelligat parum eam firmam esse. Nam si propter nimiam sui copiam seipsum contemneret aliaque plura faceret; idem separatis intelligentis eueniret, quae sibi item semper praesto sunt; nec sui tamen intellectionem contemnunt, aut intermittunt vnquam. Deinde sui ipsius cognitio melior est & cuiusvis alterius rei materialis cognitioni praestat. Accedit quòd etsi substantia ipsius illi semper adsit,

non adest tamen cognitio. Non enim seipsum semper cognoscit, immò perarrò. Non igitur propter nimiam copiam & familiaritatem vilescit & contemnitur.

Potior est altera, quae Prisciani quoque seu Theophrasti in libro de phantasia & intellectu cap. 6. & sanè perquam ad id, quod queritur, explicandum accommodata. Etenim quae natura diuersitas est, eadem operationis existit. Quare cum hoc humanus differat intellectus ab intellectibus planè separatis; quòd hi perfecti cum sint, puri & simplices intellectus, atque ab omni materia & corporis locietate ac contagione semoti; nil habent, quòd impedire aut obruere, alioquin auocare operationem illorum possit. Itaque actu sunt semper intelligentes id, quòd & actu semper est intellectile & illis praesens; nempe seipso. Athmanus intellectus, ut est substantia imperfectus & diminutus, sic imperfectam quoque operationem habet; hoc est tum simpliciter interruptam, tum minimè vitam, collectam, atque indiuiduam: sed in plures distractam partes atque inuestigatione, ratiocinatione, & ex vno aliud progressionem, nimirum cognitione & ignoratione, lumine ac tenebris, constantem. Siquidem dum inuestigat, dum ex vno aliud ratiocinatur, dum ex hoc ad illud progreditur atque ex vnus cognitione in alterius notitiam deducitur; vnus profectò cognoscit, alterum ignorat & ratiocinando querit. Tum verò ut est corporis forma, sic inerti corporis mole ac pondere grauatus & obrutus ab intelligendo impeditur. Et quoniam

substantia cum illo minimè permiscetur, formatione tamen, quae proprius est secundus actus formae, ita complicatur & coniungitur, ut à seipso plurimum auocetur; & operatur quoque tota duas in partes distrahitur; quarum altera corporis sit, altera ipsius propria. Idque duobus modis: primum operandi modo: deinde tempore, atque operationis duratione. Non enim intelligere potest, nisi corporis sensibus phantasiae famulantibus & quasi intellectibus atque apparitoribus praecurrentibus quòd obiecta intelligenda conquirant vniue & colligant atque ad intellectum adducant; tum propria ipsius intellectio consequitur. Itaque diuisa est operatio, bipartitumque tempus: primum corporeorum sensuum phantasiae quae antecedit actio; deinde sequitur ea, quae intellectus propria est. Importuna etiam accedit: praesepè obiectorum sensuum per sensus irruptis; crebra phantasmatum, vel nolentibus nobis, intrusio; quae intellectum à sui atque immaterialium contemplatione ad materialium considerationem auocant. Denique ut est humanae vitae princeps, dux, & moderator; cogitatur de corporis conseruatione cogitare circaque corporea plurimum negotiari. Atque ut homo non sola constat mente, sed corpore item corporeisque instrumentis; ac demum civile animal est & politicum; non potest semper in sui & immaterialium contemplatione versari; sed magnam vitae partem in rebus agendis atque efficiendis consumat necesse est. Neque tamen haec ipsa semper tractare potest ac me-

ditata

ditari. Quoniam & sensuum ac phantasia antecedenti functioni concedendum est tempus, quo tantisper ipsa feriat. Et cum hac nisi sensibus & phantasia famulantibus non intelligantur, harum virtutum operatio nequit esse perpetua. Consumitur enim animalis spiritus, praeipuum operandi instrumentum; organaque corporis debilitantur, franguntur, enervantur, si illorum usus fuerit diuturnior. Somnus vero huius reficiendis ac renouandis, tum toti animalis vitae tuenda necessarius in primis est; quo tempore sensuum & phantasiae actio cessat.

Itaque siue quaesitum hoc loco fuerit, cur intellectus seipsum, sine uniuerso, cur aliquid semper non intelligat: haec fuerit responsio ex ipsius natura, quae operandi principium est, conditione desumpta. Ex eodem principio ratiocinatum fuisse Plotinum comperies, cum in libro de tribus principalibus substantiis capite ultimo intellectum nostrum circa diuina semper agere affirmavit; neque nos tamen animaduertere; quod ratio, phantasia, & sensus, ad alia nos distrahant, mentemque interpellent. Ut enim animaduertamus, vim ipsam animaduersoriam oportet ad interiora conuertere, atque ibi totam intendere: perinde ac

Intellectus in materia & immateriali mediis.

si quis vocem nam praeter ceteris audire velit, a ceteris se vocibus segregat, illique vni attentas aures porrigit. Ex eodem Simplicium; cum id propterea euenire dixit, quod intellectus nostri natura inter ea, quae penitus a materia abiuncta subsistunt; & ea, quae profus in materia sunt, existit media. Quae ab omni materia seiuncta subsistunt intelligentia, semper intelligunt: quae in materia sunt, nunquam omnino: intellectus noster inter utraque medius, & immaterialis quidem substantia, materia tamen actus & forma, medio se habet modo; dum interdum intelligit, interdum ab intelligendo feritur; interdum est actus, interdum potestate.

Sic enim ab ultimorum atque infimorum entium materialium conditione recedit atque ad superiorem perfectionem accedit; nec eam tamen omni ex parte assequitur. Quoniam in occurru vitae ad extra prouenientis, dumque intellectus corpori necitur, confringitur atque interpolatur intellectio: ut quemadmodum essentia est media, sic media item operatione fruatur. Verum hinc etiam intelligas, intellectum nostrum inter haec duo extrema esse medium, non solum natura & intellectio, sed intellectio quoque. Nam intelligentia illa, quae semper se se intelligunt, non modo intellectus & intellectus actu, sed intelligentes etiam & intellectus semper sunt. Intellectus noster semper quidem est intellectus & intellectus actu, quia immaterialis est: at non semper intelligens actu & intellectum actu, sed potestate perpetua. Res denique materiales intellectus nunquam sunt, nec intelligentes; sed intellectus & intellectus; interdum potestate, interdum actu. Intellectum porro nostrum non semper actu intelligere, nec seipsum, nec cetera; manifestissimum est, neque indiget proba-

atione: siquidem vnusquisque in seipso experitur. Immo sui ipsius intellectio perara est, nec sine magna difficultate. Ut propterea tum demum tradiderit Aristoteles cum id confesquit, cum fuerit singula factus.

Scio de toto hoc disputationis genere secus sensisse Platonicos, Plotinum, Theodorum, Afinium, & Iamblichum, Marcilij quoque testimonio in 12. Platonica Theologia libro, cap. 4. humanum inquietum intellectum a diuina mente illuminari semper; & ideo per continuum idearum intuitum continenter operari; Verum non est mihi nunc propositum contra disputare, cum illi Platonice solum figmentis nitantur; quae non ad illustrandam sed obscurandam potius & inquinandam puram & sinceram Aristotelis doctrinam, facerent. Quam antecedens explicatio rationumque momenta & interna ipsa experientia satis superque demonstrant.

Platonice opinio.

TEXTVS.

Εἰ δὲ τὸ ἐγγύστατον οὐκ ἔστι, ἀλλὰ καὶ τὸ μακροτέρωθεν ἔστι, ὡς ἂν ἐκείνους ἐξ ἑαυτῶν ἴδωμεν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐγγύστατον οὐκ ἔστι, ἀλλὰ καὶ τὸ μακροτέρωθεν ἔστι, ὡς ἂν ἐκείνους ἐξ ἑαυτῶν ἴδωμεν.

In his autem, quae materiam habent, potestate solum est intellectum vnunquodque. Quare illis sane non merito intellectus. Nam eiusmodi enim intellectus facultas est sine materia. Si vero intellectilia inest.

COMMENTARIVS XCIV.

Questionem eam, qua quaesitum est, cur intellectus non semper intelligat, ad copiosorem doctrinam & intellectus cognitionem explicare pluribus libuit, etsi obiter a Philosopho interposita fuerit priori illi dubitationi, qua quaesitum antea fuerat, an intellectus ipse intellectus sit, & quomodo sit; at sine solutione praetermissa. Etenim nunc in priori quaestione insistens explicationem eius absoluit. In intellectu & uniuerso in his, quae materiam non habent, idem esse dixerat id quod intelligit, & id quod intelligitur: & ideo seipsis haec intellectilia esse; nec intellectilia modo, sed & intellectus. Iam alterum diuisionis membrum adiungit: atque hoc sibi vult aduersatiua particula (autem) quae superiori orationi responderet: ut integra haec sit sententia. In immaterialibus idem est quod intelligit, & quod intelligitur; in iis autem, quae materiam habent, non sunt idem: quoniam illorum vnunquodque potestate est intellectus, non actu. Et ideo illis non inest intellectus, sed ab alio fieri debent actu intellectilia. Quippe intellectus ut est immaterialis, sic actu est intellectus, non potestate. Ipse tamen non dixit (non inest) sed potius (non inest m-

lectus. Quoniam obiectionem diluens, qua in tex. 13. deducebatur, (si intellectus ipse intellectus per se sit, aliis quoque inerit intellectus) ex ea, quam inter materialia & immaterialia diuersitatem ostendit, oppositum illius consequentis colligit (quare illis, hoc est materialibus, sane non inerit intellectus.

Cuius orationis non solum hæc est sententia; Nequaquam id, quod deducebatur, consequens esse; fore ut intellectus omnibus insit: siquidem non omnia sunt seipsis intellectilia actu, sed potestate pleraque, quæ ab alio fieri actu oporteat. Verum etiam hæc; omnino in illis intellectum esse non posse. Hoc enim subsequens probatio testatur (nam intellectus facultas est sine materia) quæ ex naturarum pugnantia petitur; causaque continet, cur materialibus intellectus non insit. Intellectus facultas est immaterialis; at materiale & immateriale pugnantia sunt, igitur ut materiale nequit esse immateriale, ita nec intellectus, aut intelligens potest materialis esse. Illud autem (eiusmodi entium) particula illi respondet (intellectilium) & immaterialia entia atque abstracta significat, quæ actu intellectilia sunt & absolute antea intellectilia nominant, ubi intellectilem dixit intellectum esse ut intellectilia; hoc est immaterialia, quæ sua natura eiusmodi sunt nec alio indigent externo, à quo actu intellectilia fiant. In his enim solis intellectus inest, idemque sunt intellectus & intellectile. Itaque ex eo, quod entium quædam sunt materialia, quædam immaterialia; fit, ut quædam sint potestate, quædam actu intellectilia; quædam seipsis, quædam ab alio; scilicet ab intellectu, qui seipso intellectilis est, fieri actu intellectilia debeant: quædam intellectu prædita reperiantur, alia intellectus omnis expertia: quædam demum intellectus & intellectilia, alia intellectilia duntaxat, non intellectus. Totaque huius rei causa est, quod illa entia sunt sine materia, hæc cum materia. Idcirco enim in illis id, quod est intellectile, intellectus item est; in his autem intellectile solum potestate, intellectus nullo modo: & in illis intellectus & intellectile sunt idem, in his diuersa prorsusque distincta.

*Materialia
ut potestate
intellectilia.*

Propterea Simplicius cum hæc potestate intellectilia nominari vidit, tria prorsus adnotanda duxit. Primum: potestate intellectilia dici, non comparatione ad seipsa, quod sibi ipsis fieri possint intellectilia (hoc enim non illis duntaxat immaterialibus intellectibus contingit; nempe humano; qui non semper seipsum actu intelligit; ut intellectus separari: sed actu quidem primo, quia est immaterialis; actu semper intellectilis est: quoad actum tamen secundum, potestate interdum, interdum actu. Neque omnino per comparationem ad aliud, quod alteri possint actu intellectilia fieri. Sed secundum suam naturam. Quoniam etsi semper intelligerentur, sua tamen natura, cum sint materialia, potestate sunt; hoc est non ex se, sed alterius beneficio, intellectilia; alioque opus intelligente, ut & intellectilia actu fiant, & reipsa intelligantur. Neutrum enim ex seipsis habent. Que modum corpus

quoque reipsa viuens habere vitam potestatem dicitur; quod non ex seipso, sed aliunde de ascititio modo habeat ab anima.

Alterum; vniuersum hoc entium materialium genus imperfectè intellectile appellatum, quod sibi sufficiens non sit, sed altero à se ali- uerfo intelligente indigeat, ut intelligatur: tum quod id, quod potestate est, imperfectum semper existimatur.

Tertium; intellectile aut quodam modo omonymè, aut ab vno dici, cum de materialibus atque immaterialibus enunciat. Alia quippe materialium atque immaterialium est intellectilis ratio. Nempe intellectile est vniuersum quodque quæ est ens: ens autem omonymum est, seu analogum, & ab vno.

Verum illud etiam obseruabis; imperfectum materialium intellectilium virtutem illius perfecticem statim subiungi. Nam pulchra illa antithesis; qua materialibus potestate intellectilibus intellectum opponit Philosophus, facultatem seu potestatem (Græcè enim est eadem vox, *δυναμις*) siue materia; non modo probatur materialia intellectilia intellectus non esse, sed etiam potestati patiendi potestas agendi opponitur: potestati inquam, qua materialia, quæ actu non sunt, fieri possunt intellectilia; potestas altera subiungitur, qua actu sunt. Hæc autem est intellectus, qui actu intellectilis cum sit, dum abstrahit & separatur à materia formas illas, quæ cum materia complicate sunt, easque in seipsum traducit; immateriales nimirum facit, actuque intellectiles sanè ut in omni genere potestate patiendi adesse agendi potestatem oportet, quæ id efficere valeat, quod altera potestate fieri potest (alioqui potestas illa superuacanea & inutilis esset in natura) ita cum materialia dixisset potestate intellectilia esse, docendum item fuit, à quoniam actu fiant.

Neque alia adferri potuit agens causa, quam quæ intelligens esset & actu talis, qualis illi sunt potestate. Huiusmodi autem proxime dixerat intellectum esse. Est igitur intellectus potestas tum sui ipsius tum materialium potestatis. Sui ipsius, dum secundum intellectiois actum promittit: materialium entium, dum ea à materiae sordibus liberat immaterialiaque actu intellectilia, immò & actu intellectilia facit; traducendo illa ad altissimam omniumque diuinitissimam conditionem & naturam. Neque ab illis quidquam patiendi, inquit Simplicius (siquidem, ut est apud Theophrastum, ne fingi quidem potest, quomodo res immaterialis & incorporea à materiali & corporea patiatur) sed circa illa agendo: neque in ipsis efficiendo quidquam, sed in seipso cognitiue eorum rationes promendo.

Quocirca errant planè, qui materiales res & phantasma, mouere inquirunt & agere in intellectum. Nam intellectus potius agit circa illa illa. Neque hæc mouere intellectum dixeris, nisi in genere obiecti; & tanquam id, sine quo is nequaquam ageret. Sed de hoc postea.

Nunc postrema illa superiunt verba (ei uerò intellectile inerit) quæ prima illa repetunt, quibus totius huius questionis solutionem aggressus est: tantumdemque significant, ac pri-

ra illa (est autem intellectus & ipse, quem admodum intellectus. Vbi enim materialia dixit intellectus potestate esse, non intellectus; intellectum autem facultatem esse sine materia: hunc repetere libuit, quasi ultimam solutionis clausulam, intellectum quoque esse: Quoniam ex immaterialium oppositione & explicatione facta manifestum id iam apparebat; immaterialia omnia seipsum intellectus esse actu; atque in illis intellectum & intellectibile idem esse. Neque huius alia est ratio; quantum quod immaterialia sunt. Sic enim & actu sunt, & in seipsa redire possunt.

DE AGENTE INTELLECTU.

CAPUT VII.

TEXTVS.

Επειδ' αρα εις απαντην ουσειν εις π. το ειναι, ειναι ειναι... (The Greek text continues with philosophical arguments regarding the nature of intellect and matter.)

Text. 17 *Iam vero ut in omni natura quidpiam est, alterum quidem vnicuique generi materia. hoc autem, quod illa omnia potestate, alterum autem causa efficiens, cuncta efficiendo. Quomodo ad materiam affecta est. In anima quoque differentias habet in se esse.*

COMMENTARIVS XCV.

Postquam de intellectu ut potestate dicitur, **D** aut habitu; hoc est ut operari potest; aut potestate prima & remota ac essentiali; aut secunda; propinqua; & accidentaria, nihil tamen, actu operatur; hactenus differuit Philosophus: id quod consequens erat, deinceps profequitur de intellectu agere ut operatur. Itaque si solum excipiam Alexandrum, qui *ποιητικον νου* & *ενεργεια* seu *ενεργεια*, intellectum agentem & actu distingui voluit; de nomine fuerit questio, non de re ipsa: siue de intellectu agente cum Latinis Interpretibus, siue de intellectu actu cum Themistio & Philopono, siue de intellectu substantiali & apud seipsum manente cum Simplicio dixeris. Triplicem enim omnes intellectum nominant; idemque est, qui *δυνάμει*, seu potestate à Græcis dicitur, à Latinis patibilis, à Simplicio imperfectus vocatur: idem, qui *ενεργεια* habitu & perfectus, idemque *ενεργεια*, seu actu agens & substantialis & apud seipsum manens, non ad extra progrediens. Etenim intellectibus formis instructus est optimè atque exornatus per intellectum habitu, quibus in seipso operatur & contemplatur. Quare obiter in hac prima explicationis ingressione intelligitur, quid tandem sit intellectus agens: tamen si de hoc pluribus dicendum erit.

Nunc ea, quæ à Philosopho traduntur, Philopono libuit in decem omnino membra con-

A cidere. Sed ad tria capita pertinent vniuersa. Primum cum inesse nobis ostendit. Alterum, quis illius sit usus, quæ utilitas, quod munus, docebit. Tertium naturam aperiet. Præter intellectum potestate agentem quoque aliquem intellectum nobis inesse hoc argumento demonstrat. In omni natura, quæ interdum est potestate, interdum actu, quidpiam sanè est velut materia ex qua fieri possunt ea omnia, quæ in illo genere considerantur; & aliud quidpiam velut efficiens, quod illa facere potest. Illud potestate est, hoc actu. Igitur in anima quoque, quæ interdum potestate, interdum actu existit ad intelligendum, utrumque hoc inesse oportet: & cum ostensum sit inesse intellectum quædam potestate ad intellectus omnia suscipienda, velut omnium materiam; alium item necesse est esse, velut illorum omnium agentem atque intellectum è potestate traducentem ad actum.

C Quo loco etsi minimè à Simplicio adnotatum fuisset, manifestum erat, non propriè materiam aut efficientem causam in intellectu asseri; neque eodem modo, quo in naturalibus & artificiosis rebus. Iam enim probatum est intellectum immaterialem esse, intellectuonemque diuiniorem omni motu operatione. Sed per quandam similitudinem & analogiam. Quem admodum enim intelligendo dicitur pati; non simili, sed meliore passione; eodem & potestatem, & materiam, atque agentem causam habere affirmatur. Quare id, quod additur (vnicuique generi) postquam naturam omnem nominasset; aut de singulis rebus naturalibus sub illa generali appellatione contentis, intelligendum est; in genere scilicet animalium, in genere plantarum, in genere elementorum & mistorum corporum materiam esse quamquam potestate ad illa. Aut credendum, analogiam illam significare, qua non eodem modo, sed cum diuersitate, in singulis reperitur materia; in sublanaribus, in celestibus, in anima.

E Porro argumentum hoc partim exemplo & inductione aliorum, partim efficaci & necessaria ratione nititur. Exemplum atque inductio generalia sunt & cuncta planè complectuntur; tum ea, quæ natura constant; tum ea, quæ arte. Itaque cum in omni natura ita esse accipit, naturæ nomine anima sola intelligenda non est, ut Philoponus credidit: sed cum Themistio, Simplicio, atque Auerroè naturales res omnes, in quibus principium motus est & quietis. Tum quia huic naturæ statim artem subiungit; artem autem non cum anima, sed cum natura propriè dicta; eaque arte, cum iis, quæ natura constant, mos est Philosopho copulare. Tum quia minus generale, minusque efficax ac manifestum fuisset argumentum ex cæteris solis animalibus ductum, cum ex tota planè natura liceret ducere. Nam in 2. Phylis. lib. duplicem in rebus naturalibus demonstrat esse naturam, materiam & formam; illam patiendi & suscipiendi, hanc agendi principium: aliusque pluribus in locis efficientem causam tradidit, quæ id ex subiecta materia possit efficere, quod ex ea fieri aptum est. Eodemque modo res habet in artificiosis. Ex animalibus autem nescio quale argumentum potest posset. Quamuis etiam plures eorum sint

Agentem in intellectu nobis inesse.

In intellectu ut materia efficiens causa non manent.

Intellectus imperfectus.

Intellectus agens quid.